



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Marcvlfī Monachi Formvlarvm Libri Dvo**

**Marculfus <Monachus>**

**Paris, 1635**

Formvlae Veteres Secvndvm Legem Romanam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10644**

FORMVLAE  
VETERES  
SECUNDVM  
LEGEM RO-  
MANAM.

T ij

FORMULAE  
VETERES  
SECUNDUM  
FEDERICO  
MAYN

INCIPIVNT CAPI-  
T V L A.

- I. *Donatio Ecclesie.*
- II. *Mandatum.*
- III. *Gesta.*
- IV. *Cessio.*
- V. *Venditio.*
- VI. *Obligatio.*
- VII. *Precaria.*
- VIII. *Item venditio.*
- IX. *Venditio de seruo.*
- X. *Venditio de semetipso, qualiter homo liber venundetur.*
- XI. *Epistola collectionis.*
- XII. *Ingenuitas.*
- XIII. *Cautio.*
- XIV. *Donatio in sponsa facta.*
- XV. *Traditio.*
- XVI. *Charta in puellam facta ab eo qui ipsam inuitam traxerit.*
- XVII. *Donatio inter virum & uxorem.*

- xviii. *Item alio modo.*  
xix. *Libellus repudij.*  
xx. *Mandatum qualiter maritus negotium vxoris prosequatur.*  
xxi. *Charta qualiter pater filium, vel nepotem de rebus suis meliorare potest.*  
xxii. *Epistola qualiter nepotes in loco filiorum instituuntur ab auo.*  
xxiii. *Epistola qualiter extraneus homo in loco filij adoptetur.*  
xxiv. *Epistola qualiter pupilli recipiantur.*  
xxv. *Pactum inter parentes.*  
xxvi. *Commutatio.*  
xxvii. *Confirmatio legis.*  
xxviii. *Item Apennis.*  
xxix. *Editio legibus comprehensa.*  
xxx. *Relatio cum iudicio.*  
xxxi. *Breue sacramenti.*  
xxxii. *Si quando masculus & femina pariter raptum consenserint, infra quinquennium litigetur.*

- xxxiii. *Iudicium euindicatum.*  
 xxxiv. *Epistola Abatis.*  
 xxxv. *Donatio ad Ecclesiam post obitum.*  
 xxxvi. *Cessio à die presente.*  
 xxxvii. *Venditio ad Ecclesiam.*  
 xxxviii. *Epistola Abatis.*  
 xxxix. *Securitas de homicidio.*  
 xl. *Iudicium, iuxta quod causa continet.*  
 xli. *Breue sacramenti, secundum ipsum iudicium.*  
 xlii. *Notitia de alode euindicato.*  
 xliii. *Venditio de casa vel area infra civitatem.*  
 xliiii. *Qui se in alterius potestate commendat.*  
 xlv. *Euacuatoria.*  
 xlvi. *De causis commendatis.*

Expliciunt capitula.

T iiij



FORMVLAE  
VETERES  
SECVDVM  
LEGEM RO-  
MANAM.

I. DONATIO ECCLESIAE.

**M**VNDI terminum adpropinquantem ruinis crebrescentibus, iam certa signa manifestant. Idcirco ego in Dei nomine ille, considerans grauitudinem peccatorum meorum, & reminiscens bonitatem Dei dicentem, Date eleemosynam & omnia munda fient vobis.

ITEM ALIO MODO.

**S**I aliquid de rebus nostris, locis sanctorum, vel in substantia pau-

perum conferimus, hoc nobis procul dubio in æterna beatitudine retribui confidimus. Ego quidem de tanta misericordia, & pietate Domini confisus, per hanc epistolam donationis, dono donatumque in perpetuum esse volo ad Basilicam S. Martini, vbi ipse pretioso corpore requiescit, vel omni congregationi ibidem cōsistenti, cui venerabilis vir ille Abas præesse videtur, villam iuris mei nuncupātem illam, sitam illo, in condita illa, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus cum omnibus appenditiis, suisque adiacentiis, sicut à me præsentis tempore videtur esse possessum, totum & ad integrum de iure meo, in vestrum vel S. Martini, iure proprietario trado, atque transfundo. Ea vero ratione, vt

quamdiu aduixero, sub vsu beneficij vestri, absque vlllo preiudicio, vel diminutione aliqua prædictas res tenere & vsurpare debeam: & post meum quoq; discessum, quicquid in iam dicta villa, vel in finibus suis additum, adtractum, emelioratum, repertumq; fuerit, & transitus meus ibidem dereliquerit, cum omni supraposito, rectores ipsius Ecclesiæ, agentésque illius, absque vllius expectata traditione, vel iudicum cõsignatione, in nostra eleemosyna, vel substãtia monachorum ibidem vitam degentium, Christo protegente, tanquam si ad presens, absque vsu nostro eorum fuisset obsecuta possessio, in eorum faciant reuocare potestatem vel dominationem: Ita vt quicquid exinde pro oportunitate monasterij facere decreuerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem.

Et si fuerit vlla quælibet persona, quæ præter istum alterum instrumentum exinde præsentauerit, aut antèrius, aut posterius, quod nos nec fecimus, nec facere rogauimus, nullum sortiatur effectum, nisi vacuum & inane permaneat. Auctorem vero criminis, vel falsarium iudiciaria potestas condemnet. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc donationem aliquid refragare, vel calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. quingentos componat, & hæc donatio cum stipulatione subnixa inlibata permaneat.

## II. MANDATVM.

**M**agnifico fratri illi, ego ille, filius illius, rogo, supplico, atque tuæ charitati iniungo, vt ad vi-

cem meam ciuitatem illam adeas, & donationem illam, quam ego partibus illius de locis nostris, nuncupantibus illis, sitis in pago illo, per mea legitima instrumeta, gestis municipalibus cum curia publica, & defensore facias alligare, vel proficere, & de ipsa prosecutione me reddas certiore. Et quicquid exinde egeris, gesserisue, ratum à me in omnibus esse cognoscas. Quod mandatum, vt pleniorum obtineat vigorem, manu propria subter firmavi, & bonorum virorum manibus roborandum decreui.

## III. GESTA.

**C**VM conuentus, Turonus ciuitate adfuisset, adstante venerabili viro illo defensore, vna cū honoratis principalibus suis, venerabilis vir ille dixit, Rogo te venerabilis vir ille defensor, vt mihi codi-

ces publicos patere iubeatis, quia inluster vir ille per hoc mandatum ad me speravit, vt donationem illam, quam de rebus suis proprietariis, de locis nuncupantibus illis, fitis in pago illo, partibus illius per sua legitima instrumenta confirmauit, gestis municipalibus cum curia publica, & defensore prosequi, & alligare deberem. Ecce ipsam donationem, iubete iam recitari: Venerabilis ille defensor, & ordo curiæ dixerunt, Codices publici te patefaciant: & ille amanuensis hanc donationem accipiat, vel recitetur. Qui statim accipiens, per ordinem eam recitauit. Iam dictus persecutor dixit: Et quia petitiones meas laudabilitas vestra per ordinem implere dignata est, rogo vt publica monumenta suscipiat. Et patefactis codicib., gesta cum à vobis fuerint subscripta, mihi nobilitas vestra, vt

mos est, tradi præcipiat. Venerabilis vir ille defensor, & ordo curiæ dixerunt, Gesta cum à nobis fuerint subscripta, & à venerabili viro illo amanuense edita, tibi tradantur ex more, vt facilius quod superius insertum est diuturno tempore maneat inconuulsum.

IV. CESSIO.

**L**atores legum sanxerunt, vt quicquid vnus quisque alteri cesserit, profiteatur se tantum rem ccessisse, vel concedere, & sola voluntas illius, aut scriptura, aut testibus cõprobata pro omni firmitate sufficiat. Igitur ego in Dei nomine ille, fidei nostro illi: cedo tibi, à die præsentis cessumque in perpetuo esse volo, hoc est villam iuris nostri nuncupantem illam, sitam in pago illo, in condita illa, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis,

vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus cum omnibus appenditiis, suisque adiacentiis, cum omni supraposito, vel quicquid in iam dicto loco à die præsentè tenere & possidere videor. Ita vt quicquid exinde facere volueris, iure proprietario, liberam & firmissimã in omnib. habeas potestatem, quia malo hoc te habere quam me, plus me quam cæteros hæredes meos. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc cessionem aliquid refragare, vel calumniã generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. tantos cõponat. Et hæc cessio meis, vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixa, diuturno tempore maneat inconuulsa.

## V. VENDITIO.

**M**agnifico fratri illi, ego ille.  
 Constat me tibi vendidisse,  
 & ita vèdidi, rem proprietatis meæ,  
 sitam in pago illo, in cõdita illa, in  
 loco nuncupante illo, cum terris,  
 ædificiis, accolabus, mancipiis, li-  
 bertis, vineis, syluis, pratis, pascuis,  
 aquis, aquarumue decursibus, mo-  
 bilibus & immobilibus, totum &  
 ad integrum cum omnibus appen-  
 ditiis suis, vel omni supraposito, si-  
 cut à me præsentì tempore videtur  
 essem possessum, de iure meo in tua  
 trado potestaté, vel dominatione:  
 vnde accepi à te pretium, in quod  
 mihi bene complacuit, illis præsen-  
 tibus qui subtus tenentur inserti,  
 valens solidos tantos. Ita vt ab ho-  
 dierna die, quicquid exinde facere  
 volueris, liberam habeas potesta-  
 tem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut  
 vllus

ullus de heredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc venditionem aliquam calumniam, vel repetitionem generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & hæc venditio firma permaneat.

## VI. OBLIGATIO.

**D**omino venerabili illi, Ego in Dei nomine ille. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter vestro accepto pretio, rem proprietatis meæ sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni integritate, vel quicquid à me præsentis tempore inibi fuit possessum, vobis per venditionis titulum distraxi. Sed postea mea fuit petitio, & vestra decreuit voluntas, vt mihi ipsam rem usufructuario ordine conseruare iubere-

V

tis: quod ita & fecistis. Et ego pro  
huius merito beneficij, obliigo vo-  
bis rem proprietatis meæ, sitam in  
pago illo, in condita illa, in loco nū-  
cupante illo, cum omni integritate,  
vel quicquid ibidem præfenti tem-  
pore à me videtur esse possessum.  
Ea vero ratione, vt quandiu in ca-  
put aduixero, vtrisque partibus sub  
vestro prætextu tenere & vsurpare  
debeam, & mihi exinde non liceat  
aliubi nec vendere, nec donare, nec  
in nullo modo distrahere, nec ipsos  
vsus in alterius manus transferre.  
Sed post meum quoque discessum,  
absque vllius expectata traditione,  
vel iudicum consignatione, absque  
diminutione rerum, vel mancipio-  
rum, cum omni supraposito, vel  
quicquid ad ipsa loca aspicere, vel  
pertinere videtur vos heredesq; ve-  
stri, vel cui à vobis permissum fuerit  
in eorum faciant reuocare potesta-

tem vel dominationem: Et si fuerit aut ego ipse, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet persona, quæ cõtra has obligationes aliquã calumniam, vel repetitionem, aut cõtemptum generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos CC. componat. Et hæ obligationes vno tenore conscriptæ firmæ permaneant.

VII. *P R E C A R I A.*

**D**omino venerabili illi rectori Ecclesiæ illius, vel omni cõgregationi ibidem consistenti. Ego enim ille ad meam petitionem vestra decreuit voluntas, vt mihi villam vestram, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni merito ad se pertinente vel aspiciente, vsufructuario ordine mihi conseruare iuberetis:

V ij

quod ita & fecistis. Ea verò ratione  
vt mihi exinde non liceat aliubi,  
nec vendere, nec donare, nec in  
nullo modo distrahere; sed sub ve-  
stro prætextu, quatenus vestrum  
decretum manserit hoc tenere &  
vsurpare faciam. Vnde censui me  
annis singulis ad festiuitatem ipsius  
sancti, partibus vestris reddere ar-  
gentum tantum. Et post meum quo-  
que discessum supra-scriptam rem,  
cum omni integritate & soliditate  
sua, quicquid ibidem aspicere vel  
pertinere videtur, cum omni supra-  
posito vel quicquid ibidem transi-  
tus meus dereliquerit, absque vllius  
expectata traditione, vel iudicium  
consignatione, aut heredum meo-  
rum repetitione, vos agentesque  
ipsius Ecclesiæ in eorum faciant re-  
uocare potestatem, vel dominatio-  
nem. Et si fuerit aut ego ipse, aut vl-  
lus de heredibus meis, vel quælibet

persona, quæ contra hanc precariam aliquam calumniam vel repetitionem, aut contemptum generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos C. componat. Et hæc precaria, quamuis per diuersorum annorum curricula à me fuisset possessa, nullum præiudicium vobis præparetur, sed ita firma permaneat, quasi per quinquennium fuerit renouata, cum stipulatione subnixa, omnique tempore inuiolata permaneat.

## VIII. ITEM VENDITIO.

**M**agnifico fratri ego ille. Cōstat me tibi vendidisse, & ita vendidi infra terminum sancti illius, in loco nuncupante illo, campum, vel vineam, iuris mei, habentem aripennos tantos. Est quidem de vno latere & fronte terra illius,

de alio latere & fronte terra illius: unde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit valens sol. tantos, ita vt ab hodierna die quicquid de supradicta re facere volueris liberam habeas potestatem, saluo iure ipsius sancti. Et si fuerit, aut ego ipse aut vllus de heredib. meis, vel quelibet persona, quæ cõtra hãc venditionem aliquam calumniam, vel repetitionem generare præsumperit, contra cui litem intulerit sol. xv. componat, & hãc venditio firma permaneat.

IX. *VENDITIO DE SERVO.*

**M**Agnifico fratri illi, ego ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi seruum iuris mei nomine illum, non furem, non fugitiuum, sed sano corpore bonisque moribus constructum. Vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene

complacuit valens sol. tantos. Ita vt ab hodierna die, quicquid de supra dicto seruo facere volueris, liberam habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet persona quæ contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare præsumpserit, contra cui litem intulerit sol. LX. componat, & hæc venditio firma permaneat.

X. *VENDITIO DE SEMET-  
ipso, qualiter homo liber  
venundetur.*

**D**Omino semper meo illi, ego ille. Placuit mihi vt statum ingenuitatis meæ in vestrum deberem obnoxiare seruitium: quod ita & feci. Vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit sol. tantos, ita vt ab hodierna die, quicquid de me seruo tuo, sicut & de re-

liquis mancipiis tuis facere volueris, à die præfente liberam habeas potestatem. Et quod fieri non credo, si fuerit vlla quælibet persona, quæ contra hanc venditionem, quæ ego mea spontanea voluntate fieri rogavi, aut qui contra eam aliquid agere, vel calumniam generare conauerit, illud quod repetit non vindicet, & contra cui litem intulerit, auri libram vnã, argenti pondo quinque coactus exsoluat, & hæc venditio firma permaneat.

XI. *EPISTOLA COLLE-  
ctionis.*

**N**Os quoque in Dei nomine matricularij sancti illius, dum matutinis horis ad ostia ipsius Ecclesiæ obseruanda conuenissemus, ibique infantulum sanguinolentũ, periculo mortis imminentem, panis inuolutum inuenimus, & ipsum

per triduum, seu amplius apud plures homines inquisuimus, quis scire esse diceret, & non inuenimus: cui nomen ipsum imposuimus. Sed postea pietate interueniente, & Domini misericordia opitulante ipsum infantulum homini aliquo, nomine illo ad nutriendum dedimus, vt si Deo præsule conualuerit, ipsum in suis seruitiis ac solatiis secundum legis ordinem retineat. Pro quo pretium accepimus, in quod nobis bene complacuit, valens sol. tantos. Et vt præsens epistola firmior sit, manibus propriis eam subterfirmuimus, & bonis hominibus roborandam decreuimus, secundum sententiam illam, quæ data est ex corpore Theodosiani libri quinti, dicentem. *Si quis infantem à sanguine emerit, si nutritum dominus, vel pater eum recipere voluerit, aut eiusdem meriti mancipium, aut pretium nutritor quantum valuerit consequatur.*

## XII. INGENUITAS.

**Q**Vi debitum sibi nexum relaxat seruitium, in futuro apud Dominum sibi retribui confidat. Igitur ego in Dei nomine ille pro remedio animæ meæ, vel æterna retributione, seruum iuris mei nomine illum ingenuum esse præcipio, & in sacrosancta Ecclesia beatissimi sancti illius, sub præsentia sacerdotum ibidem consistentium, ante cornu altaris ab omni vinculo seruitutis eū absoluo, ita vt deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus, vel procreatus, eat, pergat partem quam maluerit, & sicut alij ciues Romani vitam ducat ingenuam. Et si aliqua procreatio filiorum vel filiarum ex ipso orta fuerit, similiter uiuat ingenua, & nulli heredum meorum, nec cuicumque alij personæ quicquam debeat ser-

uitutis, nec libertinitatis obsequiū,  
nisi soli Deo cui omnia subiecta  
sunt, vel pro cuius amore ipsum de-  
uotus obtuli : patrociniū & de-  
fensionem cuiuscumque se elegerit,  
in omnibus illius perfruatur arbi-  
trio. Si quis vero quod futurum esse  
non credo, si fuerit aliquis ex here-  
dibus meis, vel quælibet persona,  
quæ contra hanc ingenuitatem ve-  
nire, aut eam refragare præsumpse-  
rit, illud quod repetit non vindicet,  
& insuper contra cui litem intulerit  
sol. lx. componat, & præsens inge-  
nuitas meis, vel bonorum hominū  
manibus roborata cum stipulatio-  
ne subnixa, omnique tempore ma-  
neat inconuulsa.

## XIII. C A V T I O.

**M**agnifico fratri illi, ego ille.  
Ad meam petitionem vestra  
decreuit voluntas, vt mihi benefi-

cium de rebus vestris illis inter annos tantos facere deberetis : quod ita & fecistis. Et ego pro huius merito beneficij oppignero vobis locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum omni sua integritate vel soliditate. Ea vero ratione vt quomodo iam dicti anni adimpleti fuerint, & fructus ipsius terre per quinque annos tantum exinde collegeris, ego supradictum debitum tum tibi desoluam, & res meas, vna cum cautione mea manibus tuis recipiā. Et si negligens aut tardus exinde apparuero, suprascriptum debitum tuum in duplum, partibus tuis sim redditurus.

XIV. DONATIO IN  
*sponsa facta.*

**L** Ex & consuetudo exposcit, vt quicquid inter sponsum, &

sponsam de futuris nuptiis fuerit definitum, vel largitum, aut ex consensu parentum, aut ipsorum, si sui iuris sunt, scripturarum solennitate firmetur. Idcirco ego in Dei nomine ille, dū multis habetur percognitum, quod ego te illam, vna cum consensu parentum, vel amicorum nostrorum tua spontanea voluntate sponsavi, mihi placuit, vt aliquid de rebus meis per hunc titulum libelli dotis ante dies nuptiarum tibi confirmare deberem, quod ita & feci. Ergo dono tibi donatumque esse volo, locellum, rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificiis, ac colabus, mancipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni supraposito suisque adiacentiis, tam de alo- de quam de comparato, seu de quo-

libet adtractu, totum & ad integrũ,  
sicut à me præfenti tempore vide-  
tur esse possessum, & in fabricaturis  
aurum tantum, argentum tantum,  
vestimenta. Hæc omnia superius  
iam dicta, per hunc titulum libel-  
li dotis diebus nuptiarum, tibi sum  
impleturus vel traditurus, ita vt  
dum aduixeris secundum legis or-  
dinem teneas, atque possideas, no-  
strisque qui ex nobis procreati fue-  
rint filiis, vel filiabus derelinquas. Si  
quis verò, si ego ipse aut vlla quæli-  
bet persona fuerit, quæ contra hanc  
donationem aliquid agere, vel ca-  
lumniam generare præsumpserit, il-  
lud quod repetit non vindicet, &  
insuper contra cui litem intulerit  
sol. C. componat: Et hæc donatio  
meis, vel bonorum hominum ma-  
nibus roborata, cum stipulatione  
subnixa firma permaneat.

## XV. TRADITIO.

**D**Vm multis habetur perco-  
gnitū, qualiter ego ille puellā  
aliquam, nomine illam, vna cum  
consensu parentum, vel amicorum  
nostrorum legibus sponsaui, & ali-  
quid de rebus meis ei donare ante  
dies nuptiarum disposui, ideo pla-  
cuit mihi, vt de ipsis rebus, misso ip-  
sius puellæ, nomine illo, traditio-  
nem vel introductionem locorum  
secundum legem Romanam, face-  
re deberem, quod ita & feci. Ergo  
trado ei & tradidisse me constat, lo-  
cellum rem proprietatis meæ nun-  
cupantem illum, situm in pago illo,  
cum terris, ædificiis, accolabus, mā-  
cipiis, *vel cetera quæ sequuntur*, au-  
rum, argentum, vestimenta. Hæc  
omnia superius iam dicta ad vicem  
sponsæ meæ tibi trado, ita vt tem-  
pore nuptiarum ad iam dictæ spon-

ſæ deueniat potestatem; ita vt ſecū-  
 dum legis ordinem teneat, atque  
 poſſideat. Et ſi contra hanc tradi-  
 tionem aliquid refragauero, parti-  
 bus ipſius puellæ ſol. tantos com-  
 ponam. Et hæc traditio firma per-  
 maneat.

XVI. CHARTA IN PVEL-  
 lam facta ab eo qui illam inui-  
 tam traxerit.

**V**luentibus patrib. inter filios  
 familias ſine voluntate eo-  
 rum matrimonia non legitime co-  
 pulantur, ſed contracta non ſoluū-  
 tur. Idcirco ego in Dei nomine ille,  
 dulciſſima coniux mea illa, dum &  
 te ſine voluntate parētum tuorum  
 rapto ſcelere in meo ſociaui coniu-  
 gio, ynde vitæ periculum incurrere  
 debui, ſed interuenientibus ſacer-  
 dotibus, vel bonis hominibus vi-  
 tam obtinui. Ideo placuit mihi vt  
 per

per hanc epistolam compositionalem, aut si conuenit cessionem, aliquid de rebus meis tibi confirmare deberem, quod ita & feci, Hoc est locellum nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni superposito suisque adiacentiis, vel omni integritate, quicquid inibi præsentis tempore mea videtur esse possessio, de iure meo in tua trado potestate, vel dominatione. Ita ut quicquid exinde à die præsentis facere uolueris, liberam ac firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vlla quælibet persona, quæ contra hanc epistolam refragationem aliquam, aut calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, &

X

insuper contra cui litem intulerit  
sol. tantos componat, & hæc episto-  
la firma permaneat.

XVII. DONATIO INTER VI-  
rum & vxorem quæ gestis sit  
alligata.

**Q**uicquid enim inter coniu-  
gatos de propria facultate,  
ob amorem dilectionis inuicé con-  
donare placuerit, scripturarum ne-  
cesse est titulis alligari, ne in poste-  
rum ab heredibus eorum possit cõ-  
uelli, quia secundum legem, si ma-  
nente coniugio vir vxori, vel vxor  
marito aliquid donauerit, si is cui  
donatum est prior mortuus fuerit,  
apud donatorem ea quæ donata  
fuerant remanebunt. Igitur ego in  
Dei nomine ille, dulcissima coniux  
mea illa, si prius mortuus fuero quã  
tu, dono tibi per hanc epistolam  
donationis, donatumque in perpe-

tuum esse volo, tres partes de omni re facultatis mee, quantumcumque in pago illo, in villis nuncupantibus illis habere visus sum. Hoc est tam terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus, aurum tantum, argentum tantum, ærumentum in sol. tantos; Hæc omnia cum omnibus appenditiis, suisque adiacentiis, vel cum omni supraposito, tibi dono atque transfundo: quartam vero legitimis heredibus meis reseruo, quia malo hoc habere te quam me, plus te quàm cæteros heredes meos. Similiter ego in Dei nomine illa dulcissimo iugali meo illi, si prior mortua fuero, quam tu, dono tibi per hanc epistolam donationis, *sequitur supradictus textus.* Si quis vero quod fieri non credimus, si fuerit vllus de he-

redibus nostris, vel quælibet persona, quæ contra has epistolas vno tenore conscriptas, quas inter nos fieri rogauimus, aliquid agere, vel refragare conauerit, illud quod repetit non vindicet, Et insuper contra cui litem intulerit sol. tantos coactus exsoluat. Et hæ epistolæ contulitionis, cum stipulatione Aquiliana, nostris vel bonorum hominum manibus roboratæ, firmæ permanent.

*XVIII. ITEM ALIO MODO.*

**I**gitur ego in Dei nomine ille, dulcissimæ coniugi meæ illi, dono tibi per hanc epistolam contulitionis, donatumque esse volo locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mācipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursi-

bus, mobilibus & immobilibus, cū omnibus appenditiis suis, vel omni supraposito, quicquid inibi præfenti tempore mea videtur esse possessio. Ea vero ratione, vt si tu mihi superstes fueris, vsufructuario ordine, hæc omnia absque repetitione heredum meorum tenere & possidere debeas. Et post tuum quoque discessum, cum omni re meliorata, vel supraposito, ad legitimos filios nostros, qui ex nobis procreati fuerint reuertantur. Similiter ego in Dei nomine illa dulcissimo iugali meo. *Loquitur supradictum textum.* Et illud inter nos inferere placuit, vt si fuerit vllus de heredibus nostris, vel quælibet persona quæ contra has duas contulitiones, vno tenore conscriptas, aliquid agere, vel refragare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit, sol. tantos com-

ponat: & hæ contulitiones nostris,  
vel bonorum hominum manibus  
roboratæ, cum stipulatione subni-  
xa firmæ permaneant.

XIX. *LIBELLVS REPVDII.*

**C**ertis rebus & probatis causis,  
inter maritum & vxorem re-  
pudiandi locus patet. Idcirco quia  
inter illum & coniugem suam illam  
non caritas secundum Deum, sed  
discordia regnat, & illorum nulla  
est voluntas pariter conuersandi,  
placuit vtrisque voluntatibus, vt se  
à consortio coniugali separare de-  
berent: quod ita & fecerunt. Pro-  
pterea has epistolas, vno tenore cõ-  
scriptas, inter se fieri & adfirmare  
decreuerunt: Vt quicquid vnus  
quisque ex ipsis de semetipso face-  
re voluerit, absque repetitione so-  
cij sui, liberam habeat potestatem,  
& nullam requisitionem neque

ipſius in caput, neque vlla quælibet perſona, exinde habere pertineſcat. Quod qui contra parem ſuum, vel contra alium quemcumque hominem, vllam repetitionem exinde facere conauerit, partibus illius contra cui litem intulerit ſol. tantos componat, & ſua repetitio nullum obtineat effectû; ſed vnus quis ex ipſis, per hunc libellum repudij eorum manibus roboratum, omnique tempore, quieti valeant reſidere.

XX. MANDATVM QV ALI-  
*ter maritus negotium vxoris  
proſequatur.*

**D**Vm & humana prodit vtilitas, & lex Romana expoſcit, vt quicumq; vxoris ſuæ negotium fuerit proſecutus, quamuis maritus ſit, nihil aliud agat, niſi quod ei agendum per mandatum illa commiſe-

rit. Igitur ego in Dei nomine illa, filia illius, tibi dulcissimo iugali meo illi. Dum me simplicitas dominatur, quod minimè res vel causas meas valeo exercere, te in omnibus rebus vel causis meis, instituo dominum, procuratorem & auctorem: ita vt quicquid exinde egeris, gesserisue ratum, vel definitum a me in omnibus esse cognoscas, quia malo hoc habere te, quam me, plus te quam cæteros heredes meos. Et adhuc mihi inferere placuit, vt hoc mandatum ad ciuitatem illam, cum curia publica, vt mos est, gestis municipalibus facias alligari. Et vt nostra voluntas æuis temporibus firmitus perduret, manu propria subterfirmaui, & bonorum virorum roborandum decreui.

XXI. CHARTA QV ALITER  
*pater filium, vel nepotem de rebus  
suis meliorare potest.*

**Q**Uicquid pater vnumquemq;  
ex filiis vel nepotibus habere  
voluerit, hoc sibi secundum legis  
ordinem, sine consortis repetitione  
defendat: nec præsumat aliquis cõ-  
tra voluntatem patris agere. Igitur  
ego in Dei nomine ille, dulcissimo  
filio vel nepoti meo illi. Cedo tibi,  
cessumque in perpetuum esse volo,  
& de meo iure in tuam trado domi-  
nationem, absque consortio fra-  
trum tuorum, vel filiorum meorum  
villam in loco nuncupãte illo, cum  
terris, domibus, accolabus, manci-  
piis, libertinis, vineis, syluis, campis,  
pratis, pascuis, aquis, aquarumue de-  
cursibus, mobilibus & immobili-  
bus, cum omni supraposito, suisque  
adiacentiis, vel quicquid inibi præ-

fenti tempore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum, à die præsentè tibi volo esse concessum atque indultum; Ita vt quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, &c.

XXII. *EPISTOLA QV ALI-  
ter nepotes in loco filiorum insti-  
tuuntur ab auo.*

**Q**uicquid filiis, vel nepotibus de facultate patris cognoscitur ordinasse voluntatem eius, in omnibus lex Romana constringit adimplere. Ideoque ego in Dei nomine ille, dulcissimis nepotib. meis illis. Dum peccatis meis faciētibus, filia mea genitrix vestra tempus naturæ suæ compleuit, & ego pensans consanguinitatis causam, dum & per legem cum filiis meis, auunculis vestris, in alode meo ad inte-

grum minimè succedere poteratis, ideo per hanc epistolam firmitatis volo, vt in omni alode meo, post meum discessum, si mihi superstites fueritis, quicquid moriens dereliquero, sicut supradicta genitrix vestra, si mihi superstes fuisset, ita & vos cum auunculis vestris succedere faciatis. Ea vero ratione, vt quicquid tempore nuptiarum ei tradidi, vel dedi, hoc in partem vestram recipiatis, & si amplius insuper de rebus nostris obuenerit, tunc cum filiis meis matris vestræ portionem recipiatis: ita vt quicquid exinde facere volueritis liberam habeatis potestatem. Si quis vero fuerit, *Et reliqua.*

XXIII. *EPISTOLA QVALL-  
ter extraneus homo in locum  
filij adoptetur.*

**E**Go enim in Dei nomine ille.  
Dum peccatis meis facienti-  
bus orbatus sum à filiis, mihi pla-  
cuit, vt illum vna cum consensu pa-  
tris sui, in ciuitate illa, cum curia pu-  
blica, de potestate patris naturalis  
discedentem & in meam potesta-  
tem venientem in loco filiorum ad-  
optarem: quod ita & feci. Ea vero  
ratione, vt quandiu aduixero fideli-  
ter mihi præstet solatium, vel adiu-  
torium, & omnes res meas diligen-  
ter excolat; & post obitum quoque  
meum, sicut à me genitus fuisset, ita  
in omni hereditate mea per hanc  
epistolam adoptionis sit successu-  
rus; vel quicquid de supradictis re-  
bus meis, quantumcumq; moriens  
dereliquero, facere voluerit, iure

propriario, absq; repetitione heredum meorum, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et illud mihi inferere placuit, vt si fuerit vllus ex heredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc epistolam adoptionis, aliquid contra te, aut contra eum, cui tu ipsas res dereliqueris, calūniator, aut repetitor accesserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. tantos componat; & hæc adoptio gestis alligata, firma permaneat.

*XXIV. EPISTOLA QUALITER tutores publicè recipiantur.*

**L** Ex Romana constringit, vt qui tutores noluerint esse paruulorum, si forte cesserit luctuosa hereditas, ab ipsa habeantur extranei. Propterea ego in Dei nomine ille, Iudex prouinciæ illius; Dum &

omnibus habetur percognitum, qualiter parentes istius presentis orfanuli, nomine illo, ab hac luce discesserunt, & testamentarium tutorem ei non dimiserunt, & minime suas procurare potest necessitates; ideo vna cum consensu primatum ciuitatis, conuenit nobis, vt istius patruo, vna cum omnibus bonis suis, facto conscripto rerum inuentarum, ei sub officium tutoris commendare deberemus: quod ita & fecimus. Ea vero ratione, vt per nullam occasionem suprascripti pupilli hereditas, quicquid in pago illo, in villis nuncupantibus illis videtur habere, non minuatur: sed ipfas res, vel mancipia, atque omnem suam substantiam diligenter excolat, & ipsum pupillum exinde nutrire, vel ministrare faciat. Et si Deo propitio in perfectam venerit ætatem, omnia ei secundum legis ordinem cum

integritate seruata reddantur. Vnde conuenit nobis, vt duas epistolas vno tenore cōscriptas, exinde conscribere, vel adfirmare deberemus: quod ita & fecimus. Vnam quidem iam dictus patruus suus secum retineat, alteram vero aliquis homo, nomine ille, de manu nostra, vel iam dicti pupilli, suscipiat, vt futuris temporibus, Deo auxiliante, sub re-  
stificatione bonorum virorum, qui subter tenentur inserti, per ipsam cum omni integritate omnia sua exigere debeat.

XXV. PACTVM INTER  
*parentes.*

**C**haritatis studium & dilectionis affectus inter propinquos decet, vt quicquid de rebus eorum inter se diuiserint, scripturarum serie alligetur, secundum Romanam legem ordinatam, vt quicum-

que in ætate perfecta pactionem, vel definitionem per scripturam fecerit, & hoc quod fecit implere neglexerit, aut contra eam ire præsumperit, infamis vocetur, & ipsam causam agere non permittatur, atque pœnam statutam cogatur exsoluere. Igitur placuit atque conuenit inter illum, & germanum suum illum, vt hereditatem paternam atque maternam inter se diuidere, vel exæquare deberent, quod ita & fecerunt. Accepit itaque ille in portione sua villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, *vel cætera quæ sequuntur.* Similiter contrà, accepit ille, in compensatione portionis suæ, villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, *vel cætera quæ sequuntur.* Hæc quidem omnia unanimiter consentientes, pars parti tradi-

tradidisse, vel consignasse cognoscite, ita vt quicquid post hūc diem vnusquisque de hoc quod accepit facere voluerit, absque nostris repetitionibus liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et si aliquando aliquis ex nobis, aut heredibus nostris contra has epistolas aliquid agere, vel refragare præsumpserit, eius repetitio nullum obtineat effectum, & insuper contra cui litem intulerit sol. tantos componat, & præsens pactio vel definitio, cum stipulatione subnixa firma permaneat.

## XXVI. COMMUTATIO.

**I**Nter quos charitas inlibata permanserit, à parte parti beneficia oportuna præstantur. Ideoque placuit atq; conuenit, inter inlustrem virum illum, & illum, vt loca aliqua inter se commutare deberēt, quod

Y

ita & fecerunt. Dedit igitur vir inlu-  
ster ille, partibus illius, locellum nū-  
cupantem illum, situm in pago illo,  
cum terris, domibus, ædificiis, acco-  
labus, mancipiis, libertinis, vineis,  
syluis, pratis, pascuis, aquis, aqua-  
rumue decursibus, mobilibus &  
immobilibus, cum omnibus appē-  
ditis suisque adiacentiis, vel omni  
supraposito, totum & ad integrum,  
de iure meo, sicut præsentis tempore  
à me videtur esse possessum, in tuam  
trado potestatem, vel dominatio-  
nem. Similiter in compensationem  
huius meriti, dedit iam dictus ille,  
partibus illius, alium locellum nun-  
cupantem illum, situm in pago illo,  
*vel cetera quæ sequuntur*: ita vt ab hac  
die, vnus quis de hoc quod accepit  
facere voluerit, iure proprietario, li-  
beram & firmissimam in omnibus  
habeat potestatem. Et illud inter  
nos inserere placuit, vt si vllus ex

nobis, heredibus successoribusque nostris fuerit, qui hoc immutare, vel refragare tentauerit, rem quam accepit amittat, & insuper contra cui litem intulerit sol. tantos componat, & sua repetitio nullum obtineat effectum. Et hæ commutationes vno tenore conscriptæ omniq; tempore maneant inconuulsæ.

XXVII. CONFIRMATIO REGIS, *vel inspecta ista, cuiuscumque principis, in eo qui ab hostibus est deprædatus, vel ab igne concrematus.*

**M**erito largitate Regis, & munere subleuantur, qui ab hostibus vel incendio passi sunt damna, vel violentiam. Igitur fidelis noster ille, clementiæ regni nostri suggestit, eo quod ante hos annos exercitus noster, aut illius Regis, vel per negligentiam alicuius hominis in

loco nuncupante illo, domus suæ,  
vel res quamplures vna cum instru-  
mentis chartarum, tam quod Re-  
gio munere perceperat, quàm & de  
diuersis partibus per venditiones,  
donationes, cessiones, commuta-  
tiones, adtraxerat, vel quicquid in  
pago illo, vel locis nuncupantibus  
illis possederat, incendio fuisset  
crematum: vnde relationem sub te-  
stificatione bonorum hominũ co-  
gnouimus recensendam, omnes res  
suas, vel instrumenta chartarum,  
perisse, vel sibi sicut nobis suggestit,  
damna sustinuisse. Præcipientes er-  
go iubemus, vt quicquid memora-  
tus ille, sicut vsque nunc tam de ter-  
ris, domibus, accolabus, mancipiis,  
libertinis, vineis, pratis, syluis, aquis,  
aquarumue decursibus, vel reliquis  
quibuscumque beneficiis, vsque ad  
præsens cum æquitatis ordine quie-  
tus possedit, ita & deinceps in iure

& dominatione eius permaneat. Et per hoc præceptum, plenius in Dei nomine circa eum suffultum, atque confirmatum, absque ullius inquietudine, teneat & possideat, suisque posteris, aut cuicumque voluerit ad possidendum derelinquat. Quam vero auctoritatem propria manu subterroborare decreuimus.

*XXVIII. ITEM APENNIS.*

**C**onsuetudine huius loci, vel etiam legis terrenæ iustitiæ, constat esse prospectum, ut quicumque ab incendiis, vel hostibus, seu à latronibus fuerit perpeffus dispendium, oportet hoc casu in foro publico vel ciuitate, cum curia publica & defensore, vel reliquis ciuibus publicare. Idcirco non habetur percognitum, qualiter homo nomine ille, per timorem illius qui Turonus ciuitatem anno præfente

hostiliter venit, & multa mala ibidem perpetravit, instrumenta sua de locis denominatis illis, vel de diuersis facultatibus suis, subtus terram in villa illa misit, & ibidem cõputruerunt & perierunt. Propterea ei necesse fuit, vt vna cum notitia pagensium, qui hoc cognitum bene habebant, Turonus ciuitate apennem exinde deberent adfirmare; vt quantumcumque per ipsa instrumenta, tam in terris, quam in mancipiis, seu & reliquis rebus, sicut vsque nunc quieto ordine tenuit & possedit, ita & admodum liceat inantea ipsas res quietè tenere & possidere, & cui voluerit, Christo auxiliante, derelinquere. Vnde cõuenit, vt duæ epistolæ, vno tenore conscriptæ, exinde fieri vel adfirmari deberent, vt vna in foro publico in ipsa ciuitate sit adfixa, aliam vero ipse secum pro cautela & tempo-

ribus futuris apud se retineat, vt si ei inantea necesse fuerit, in praesentia Regis, aut principis loci sit proferenda.

XXIX. EDITIO LEGIBVS  
*comprehensa.*

**L** Ex Romana pro utilitate humani generis exposcit, vt si quando cuiuscumque iniusta appellatio coprobatur, sumptus quos post appellationem aduersarium suum accusator compulit sustinere, non in simplum ei, sed in quadruplum ab accusatore cogatur restitui. Igitur ego in Dei nomine ille, dum non est incognitum, qualiter apud te homo ille, nomine illo, in rationes publicas, ante illustrem virum illum, vel reliquos viros, qui subter tenentur inferti, Turonus civitatem adsteti, de aliquibus locellis, nuncupantibus illis, sitis in pa-

go illo, qui mihi per legitimam successionem sunt debiti, & tu præfenti ordine, malo ordine eos possidere videris. Vnde apud me in responsum introire noluisti, nisi, sicut lex edocet, tibi inscriptionem de sumptibus & expensis confirmassem. Ideo placuit mihi, vt hanc editionem in te adfirmare deberé, quod ita & feci: vt si apud me de ipsis rebus in rationes, vel in iudicium introieris, & ipsa causa inter nos legibus definita fuerit, & mea iniusta fuerit accusatio comprobata, de eadem causatione, omnique tempore quietus resideas, & sumptus, vel expensas superius nominatas, quas pro necessitatibus tuis me compellente visus es expendisse, secundum legis ordinem, transacto litis tempore partibus tuis cogar restitui. Et pro rei totius firmitate hanc editionem manu propria subterfirmaui,

& bonorum virorum roborandam decreui. *Et si de homicidio accusatio processerit, secundum hanc sententiam inscriptio celebretur.* Quicumque alium de homicidij crimine periculosa, vel capitali obiectione pulsauerit, non prius à iudicibus audiatur, quam se similem pœnam quam reo intendit cōscripserit subiturum. Et si seruum alienum accusandum esse crediderit, se simili inscriptione constringat in futurum, vt supplicia innocentium seruorum, aut pœna capitis sui, aut facultatum amissione compenset.

X X X. R E L A T I O C V M  
*iudicio.*

**A** Vtoritate legis præceptum est, vt in toto litis termino requiratur, per quem orta est contentio. Et si quis ad rapinam faciendam adgreditur, aut iter agentem insi-

diauerit, aut domum alterius nocturnus spoliauerit, mors animæ ipsius ne requiratur. Igitur ego in Dei nomine, ille Iudex, veniens in loco nuncupante illo, sub die illo, vna cum bonis hominibus, ad locum accessionis, vbi aliquis homo nomine ille quondam interfectus iacebat, requirens pro qua re ibidem interfectus fuisset: sed venientes homines ibidem commanentes, qui in initio litis ibidem fuerunt, vel qui ad ipsos vccos cucurrerunt, quando iam dictus homo ibidem interfectus fuit, taliter testimonium præbuerunt, Vt dum aliquis homo, nomine ille, solenniter ambulabat, sic iam dictus ille quondam, ipsum adfalliuit, vel ei infidiauit, & res suas ei contradixit, atque violenter super ipsum euaginato gladio venit: unde liuores vel capulaturæ, atque colaphi manifesti apparent. Ideo

etenim, dum sic veritas comprobatur, iam dictus ille, adprehensam manum vel arma prædicti iudicis, sicut mos est, apud homines XII. manu sua tertia decima, distractus vel coniuratus dixit, quod dum ipse solenniter ambulabat, iam dictus ille quondam, cum malo ordine adfalliuit, & euaginato gladio super eum venit, & super ipsum liuores vel capulationes misit, & res suas illas ei diripere voluit, & postquam istos præsentis liuores recepit necessitate compulsus, ipsum plaga-uit, per quem mortuus iacet: & in sua orta contentione, vel in sua mouita, atque per suas culpas ibidem interfectus fuit; Et sic est veritas, absque vlla fraude, vel conludio, & in sua culpa secundum legem ipsum forbatudum fecit. Proinde opportunum fuit ipsi illi, vt hanc notitiam ad instar relationis, exinde

accipere deberet: quod ita & fecit. Sed postea taliter in iam dicto loco ipsi illi iudicatum fuit, vt in noctes XL. apud homines xxxvi. manu sua trigesima septima, in Ecclesia illa, in loco nuncupante illo, coniurare debeat apud homines visores & cognitores; eò quod ille quondam malo ordine super eum venisset, & res suas ei contendisset, vel primitus ipsum plagasset, vel liuorasset, & ipsum in via adfallisset, vel insidiasset, & in sua mouita vel in sua culpa ibidem interfectus fuisset. Et si hoc facere poterit de ipsa morte quietus valeat residere.

XXXI. BREVE SACRAMENTI.

**B**Reue sacramenti, qualiter ingressus est ille in loco nuncupante illo, in Ecclesia illa, sub presentia illius iudicis, vel bonorum vi-

rorum, qui subter tenentur inferti,  
ad placitum suum custodiendum.  
Vnde retroactis diebus quadragin-  
ta, relationem de morte illius, per  
iudicium bonorum virorum acce-  
pit, iuratus dixit: per hunc locum  
sanctum & Dei reuerentiam, dum  
ego solenniter inibi ambulabam,  
iam dictus ille quondam in loco  
nuncupante illo, me malo ordine  
adfalliuit, vel liuorauit, & colaphos  
super me posuit, & ad rapinam, vel  
ad insidiam super me faciendam  
adstetit, & res meas mihi malo or-  
dine diripere, vel tollere tentauit. Et  
ego in sua orta contentione, vel in  
sua mouita atque per suam culpam  
in ipso loco ipsum interfeci, per re-  
uerentiam istius sancti & Dei altis-  
simi; Similiter testes sibi similes vi-  
siores & cognitores, secundum quod  
ei iudicatum fuit, post ipsum iura-  
uerunt, vt quicquid iam dictus ille

de hac causa iuravit, verum & idoneum sacramentum dedit. Ij sunt qui hoc sacramentum exceperunt, manibusque eorum subterfirmauerunt.

XXXII. *SI QUANDO MASCULUS & femina pariter raptum consenserint, infra quinquennium litigetur.*

**N**Otitia, sub quorum præsentia, vbi venies ille ante illum, vel eos qui subter tenentur inserti, ibique accusabat aliquem hominẽ nomine illũ, eo quod aliquam fœminam nomine illam, iam anno expleto sine diffinitione parentum, vel sine eius clamore, aut vociferatione eam volentem rapuisset, atq; in coniugio sibi malo ordine contra legem & iustitiam sociasset: qui iam dictus ille, & præfata illa hoc denegare non potuerunt: sed in

omnibus taliter fuerunt professi, quod ambo pariter consentientes, sic apud eosdem actum vel perpetratum fuerat. Tunc ipsi viri qui ibidem aderant, tale dederunt iudicium, vt secundum legem Romanam, pro hac culpa ambo pariter vitæ periculum incurrissent, vel sententiam mortis ob hoc scelus excessissent. Sed interuenientibus bonis hominibus, taliter eis conuenit, vt iam dicti homines pro redemptione vitæ eorum, vadios suos iam dicto illi vnusquisque pro solidis tantis dare deberent, quod ita & fecerunt, & ad hoc placitum institutum, quod eueniet tunc temporis hoc debeant desoluere. Vnde & fideiussorem pro ipsis solidis, aliquem hominem illum obligauerunt. Propterea necesse fuit ipsis, vt hanc notitiã exinde accipere deberent: quod ita & fecerunt, vt si necessitas eue-

nerit omnibus sit manifestū, qualiter supradicti homines infra quinquennium ab hoc scelere conuicti, vel comprobati apparuerunt.

XXXIII. *IVDICIVM EVINDICATUM.*

**I**Lle Rex vir inluster, illi Comiti. Veniens ille in nostra, vel procerum nostrorum præsentia, suggestit, eo quod aliquis homo nomine ille pagensis vester, eum in via malo ordine adfallisset, & res suas ei tulisset, vel grauiter ipsum liorasset: & ob hoc vobis per nostram ordinationem iussimus vt datis fideiussoribus KL. illis ex hoc in nostra præsentia debuissent adstare rationantes: sed memoratus quidem ille per triduum suum custodiuit placitum, & iam dictum illum secundum legē adiecit, vel solfatiuit, qui nec ecsonia nuntiauit, nec suum placitum

tum adimpleuit. Propterea omnino tibi iubemus dum tales vobis datos habuit fideiussores, & placitum suum nullatenus custodiuit, vt quicquid lex loci vestri de tali causa edocet, vobis distringentibus, memoratus ille partibus illius componere, & satisfacere non recuset.

XXXIV. EPISTOLA ABATIS  
vel rectoris Ecclesie.

**I**N Dei nomine ille quamquam peccator Aba, dilecto amico nostro illi. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter tu rem proprietatis tuæ illam accepta pecunia de thesauro ipsius sancti per venditionis titulum distraxisti. Vnde & precariam nobis ex hoc emisisti, & censisti te dare, in luminaribus ad festiuitatem ipsius Sancti, hoc est tantum. Ideo vna cum consensu fratrum nostrorum, hanc epistolam

Z

tibi emittendam decreuimus: Ut ipsum locum cum omni integritate, vna cum Dei gratia, & nostra voluntate, absque præiudicio sancti illius, diebus vitæ tuæ vsualiter tibi liceat tenere. Et post tuum quoque discessum ipse locus cum omni integritate, vel re meliorata, vel supraposito, partibus nostris, vel ipsius Basilicæ reuertatur: quam epistolam manu propria subterfirmauimus.

XXXV. DONATIO AD EC-  
*clesiam post obitum.*

**L**Vcrum maximum credimus animarum, si dum vnusquisq; corporeis motibus terram inhabitat, pro amore cogitet domus æternæ, vel amore temporalium rerum sperandarum sibi cumulet munitia diuitiarû, aut certè si id quod remanendo perire poterat in sæcu-

lo, in alimoniis pauperum, vel locis sanctorum distribuatur Dei. Quamobrem ego in Dei nomine ille, pertractavi tam de Dei parte, quam & reuerentia sancti illius, ciuitatis illius, vbi ipse pretiosus dominus in corpore requiescit, seu pro animæ meæ remedio ad sacrosanctam Basilicam Sancti domni illius, eiusque congregationem, vbi ille Aba, vel rector præesse videtur, dono donatumque in perpetuum esse volo, hoc est villam rem proprietatis meæ, nuncupantem illam, sitam in pago illo, super fluuium illum, in condita illa, cum omnibus adiacentiis, vel appenditiis suis quantumcumque ad ipsam villam aspicere, vel pertinere videtur, vel quantumcumque inibi præfenti tempore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum per hanc donationem tibi trado, atque transfundo,

Z ij

eo videlicet modo, vt dum ego in  
caput adiuuo, ipsam villam cum  
omni integritate vsualiter, sub præ-  
textu ipsius Basilicæ tenere & vsur-  
pare faciam. Post meum quoque  
discessum, ipsam villam cum omni  
integritate, vel supraposito, hoc est  
cum terris, domibus, ædificiis, acco-  
labus, mancipiis, vineis, syluis, pra-  
tis, pascuis, aquis, aquarumue decur-  
sibus, mobilibus & immobilibus,  
pecuniis, peculiis vtriusque sexus,  
præsidiis, vel omni supellectile, vel  
quod ibidem in antea addere, ad-  
trahere, comparare, aut emeliorare  
potuero, & transitus meus ibidem  
dereliquerit, pars ipsius Basilicæ, &  
eius rectores, absque vllius expecta-  
ta traditione, vel iudicum cõsigna-  
tione, in eorum vel ipsius Basilicæ  
faciant reuocare potestatem vel do-  
minationem, & ad ipsam sanctam  
Basilicam proficiat in augmentum,

quia malo hoc post meum disces-  
sum ipsam Basilicam habere, quàm  
cæteros heredes meos. Si quis  
vero.

XXXVI. CESSIO A DIE  
*præsente.*

**D**Vm fragilitas seu casus hu-  
mani generis pertimescit vl-  
timum vitæ terminum, subita trans-  
positione ventura, oportet vt non  
inueniat vnumquemque imparat-  
tum, nec sine aliquo boni operis  
fructu migrantem de sæculo: sed  
dum in suo iure & potestate quisq;  
consistit præparet sibi viam salutis,  
per quam ad æternam beatitudi-  
nem valeat peruenire. Idcirco ego  
in Dei nomine ille, pertractans tam  
de Dei parte, quam & reuerentia  
Sancti illius, seu animæ meæ reme-  
dio, cedo ad sacrosanctam Eccle-  
siam Sancti illius, quæ est constru-

cta infra urbem illam, in honore  
sancti illius, vbi ille Aba & Rector  
præesse videtur, non occultè, sed pu-  
blicè, non priuatim, sed palàm, ces-  
sumque in perpetuum esse volo iu-  
re legitimo, & de iure meo in ius, &  
dominationem ipsius Ecclesiæ tra-  
do atque transfundo. Hoc est lo-  
cum rem proprietatis meæ illum, si-  
tum in pago illo, in cõdita illa, cum  
omni integritate, vel adiacentiis  
suis, hoc est cum terris, mansis, ca-  
sis, vineis, syluis, campis, pratis, pa-  
scuis, aquis, aquarumue decursibus,  
farinariis, mobilibus & immobili-  
bus, pecuniis, peculiis vtriusque se-  
xus, præfidiis, vel omni supellectile,  
quantumcumque ibidem præsentem  
tempore mea videtur esse possessio,  
totum & ad integrum rem quæsi-  
tam & inquisitam, per hanc cessio-  
nem à die præsentem ad ipsam san-  
ctam casam delego & confirmo. Ita

vt ab hodierna die quicquid exinde  
pars ipsius Ecclesiæ, eiusque Recto-  
res de ipsa re facere voluerint, libe-  
ram & firmissimam in omnibus ha-  
beant potestatem faciendi, quia ip-  
sam sanctam Ecclesiam plus id ha-  
bere volo, quam me vel cæteros he-  
redes meos. In cessionibus verò li-  
cet pœna non inferatur, mihi ta-  
men pro rei totius firmitate placuit  
inferendum, vt si ego aut vllus de  
heredibus meis, & reliqua.

XXXVII. VENDITIO AD  
Ecclesiam.

**D**omino venerabili & in Chri-  
sto patri illi, Abati de Basilica  
sancti illius, in ciuitate illa, vbi ipse  
pretiosus dominus in corpore re-  
quiescit, vel omni congregationi  
ibidem consistenti; Ego enim in  
Dei nomine ille. Constat me vobis,  
vel partibus ipsius basilicæ vendi-

Z iij

disse, & ita vendidi, hoc est locum rem proprietatis meæ, situm in pago illo, super fluuium illum, in condita illa, in villa illa, cum omni integritate vel adiacentiis, quicquid ad ipsum locum aspicere vel pertinere videtur, vel quantumcumque præfenti tempore mea videtur esse possessio, hoc est tam terris, mansis, casis, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, libertinis, ministerialibus, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculiis vtriusque sexus, vel omni suppellectili totum & ad integrum, rem quæsitam & inquisitam, quicquid dici aut nominari potest, vel quicquid ibidem præfenti tempore mea videtur esse possessio, per hanc venditionem à die præfente trado atq; transfundo. Vnde accepi à vobis pretium pro iam dicto loco, de the-

sauro ipsius sancti, in quod mihi  
complacuit, vel amplificatum fuit,  
hoc est tantum, quod pretium in  
manus meas accepi: & ipsum locum  
cum omni integritate, sicut dixi, per  
hanc venditionem vobis, vel ad ip-  
sam sanctam casam, tradidi perpe-  
tualiter ad possidendum, ita vt ab  
hodierna die, quicquid exinde vos,  
aut successores vestri, vel pars ipsius  
Basilicæ facere volueritis, liberam  
& firmissimam in omnibus habeat-  
is potestatem faciendi. Si quis vero.

XXXVIII. *EPISTOLA AB-  
batis vel Rectoris ipsius Ecclesie.*

**I**N Dei nomine ille Aba, in Chri-  
sto nobis dilecto illi. Ad tuam  
petitionem nostra decreuit volun-  
tas, vt tibi res nostras, vel sancti il-  
lius in pago illo beneficiare vsufru-  
ctuario ordine deberemus: quod  
ita & fecimus. Et tu pro huius meri-

to beneficij obligasti nobis res tuas tam de alode quàm & de comparato, seu de quolibet, sic denominatas, in pago illo, in condita illa, quas præfenti tempore tenere & possidere videris : hoc est cum terris, vel omnia & in omnibus. Ea vero ratione vt tibi ex ipsis rebus quas nobis obligasti, & illis quas tibi vsufructuario ordine beneficiauimus, non liceat aliubi, nec vendere, nec donare, nec alienare, nec in nullo modo distrahere, nec in naufragium ponere, sed sub nostro, vel sancti illius prætextu tibi liceat tenere & possidere. Et post tuum quoq; discessum absque diminutione rerum vel mancipiorum, cum omni re emeliorata, vel supraposito quicquid in iam dictis rebus inuentum repertumque fuerit, in nostram vel ipsius sancti absque vllius expectata traditione, vel iudicum confi-

gnatione faciamus reuocare potestatem vel dominationem. Vnde censisti te nobis annis singulis, ad festiuitatem sancti illius, in luminaribus ipsius sancti, vel pro mercedis tuæ augmento, argentum solidos tantos. Et si de ipso censo negligens apparueris, fidem exinde facias, & ipsas res perdere non debeas. Quam epistolam manu propria subterfirmauimus.

XXXIX. *SECVRITAS DE homicidio.*

**F**Ratri illi, Ego enim ille. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter tu ante hos dies instigante aduersario germanum meum vel quolibet parentem interfecisti. Vnde & postea ex hoc comprobatus apparuisti, & ante me apud illum iudicem, exinde in rationes fuisti, & pro integra compositione pro

iam dicto parente meo, pro ipsa morte, sicut mihi bene complacuit, argentum solidos tantos dedisti: Ideo hanc epistolam securitatis tibi ex hoc emittendam decreui, vt neque à me, neque ab heredibus meis, neque à qualibet opposita vel emissâ persona, nullam calumniam neque repetitionem de iam dicto homicidio habere non pertimescas, neque tu, neque vllus de parte tua qui tecum commorantur, sed ducti atque securi in omnibus, exinde valeatis residere. Si quis vero, si fuerit aut ego ipse, aut vllus de heredibus meis, seu quælibet persona, quæ cõtra hanc securitatem venire, aut agere vel refragare tentauerit, & à me vel ab heredibus meis defensatum non fuerit, sociante fisco qui litem intulerit sol. tantos componat, & sua repetitio nullum obtineat effectum, sed sit inter nos vel ab here-

dibus nostris ex hac re omniq; tempore calcanda causatio; Et hæc securitas meis, vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione inserta, diuturno tempore maneat inconuulsa.

X L. I V D I C I V M I V X T A  
*quod causa continet.*

**V**eniens ille, die illo, mense illo, dies tantos, in loco nuncupante illo, ante venerabilem virum illum, suosque auditores, vel reliquos viros, qui ibidem aderant, vel subterfirmaverunt, ibique interpelabat aliquem hominem nomine illum, dum diceret eò quod hereditatem suam in loco nuncupante illo, quæ ei erat debita, post se retineret, vel ei malo ordine contradiceret iniuste. Interrogatus ille ante ipsos viros, taliter dedit in responsis, quod ipsam hereditatem, quã ipse

contra eum repetebat, genitor suus  
vel quilibet parens, ipsam ei mo-  
riens dereliquerat, & de annis xxx.  
inter ipsum & parentes suos, qui ip-  
sam ei dereliquerant ipsam tenuis-  
set, & secundum legem ei sit debi-  
ta. Dum sic intenderent sic ipsi viri  
memorato homini decreuerunt iu-  
diciū, vt in noctes tantas, quod  
euenit die illo, apud homines tan-  
tos, sua manu tanta in Basilica san-  
cti illius, in loco nuncupante illo,  
taliter debeat coniurare, quod ip-  
sam hereditatem, quam ipse homo  
contra ipsum repetebat, per annos  
xxx. inter ipsum & memoratos pa-  
rentes suos, qui ipsam hereditatem  
morientes ei dereliquerant, semper  
ipsam tenuissent, & per ipsos annos  
xxx. secundum legem plus sit ipsa  
hereditas ei habendi debita, quam  
ipsi homini reddendi: si hoc ad il-  
lud placitum coniurare potuerit, ip-

sam hereditatem, absque repetitione ipsius hominis, omni tempore habeat eligitam, atque euindicatam: sin autem non potuerit, hoc legibus emendare studeat. His presentibus actum fuit.

XLI. BREVE SACRAMENTI  
*secundum ipsum iudicium.*

**B**Reue sacramentorum, qualiter ingressus est ille, die illo, in loco nuncupante illo, in Basilica sancti illius, iuxta quod iudicium suum loquitur, apud homines tantos sua manu tanta, positis manibus super sanctum altare iuratus dixit: Per hunc locum sanctum, & reuerentiam istius sancti, quia vnde me ille interpellauit, quasi hereditatem suam, quæ ei esset debita, in loco nuncupante illo, post me retinere, vel ei malo ordine contradicere iniuste, ipsam hereditatem pa-

rentes mei mihi morientes dereliquerunt, & inter me vel ipsos parentes meos de annis xxx. semper exinde vestiti fuimus, & secundum legem plus est mihi debita habendi quam ipsi homini reddenda, per Deum & reuerentiam istius sancti iuro. Similiter venientes testes sui, per singula iurati dixerunt, quicquid iste de hac causa iuravit, verum & idoneum sacramentum exinde iuravit. Hij sunt qui subterfirmauerunt.

XLII. NOTITIA DE ALODE  
*vindicato.*

**N**Otitia, qualiter vel in quorum præsentia, veniens ille, die illo, in loco nuncupante illo, ante illum iudicem, vel reliquos viros, qui ibidem aderant, vel subterfirmauerunt; Ibique interpellabat aliquem hominem, nomine illum, eo quod

quod alodem quæ fuerat genitoris  
sui nomine illius, in loco nuncu-  
pante illo, post se malo ordine reti-  
neret, vel ei contradiceret iniuste.  
Interrogatus ipse homo ab ipsis vi-  
ris, si sic erat veritas, an non: sed ipse  
iudicium, vel breue sacramento-  
rum, ibidem ante ipsos viros protu-  
lit ad relegendum, qualiter cum ip-  
so homine, ante hos dies, exinde an-  
te illum iudicem in rationes fuerat,  
& qualiter ipsam alodem contra ip-  
sum hominem, vel contra germa-  
nos suos elitigatam, atque euindi-  
catam legibus habebat. Relecto ip-  
so iudicio, vel ipso breui sacramen-  
torum, sic ipsi viri ipsum hominem  
interrogauerunt, si aliquid contra  
ipsum iudicium, vel contra ipsum  
breuem opponere volebat. Sed ipse  
taliter dixit, quod nihil habebat  
quod contra ipsum opponere de-  
beret, & se in omnibus recognouit,

A a

quod contra legem ipsum hominem calumniabat, & se exinde omni tempore taciturnum esse spondit. Propterea oportunum fuit ipsi, ut hanc notitiam ex hoc accipere deberet: quod ita & fecit, his presentibus actum fuit.

*XLIII. VENDITIO DE AREA  
vel de casa infra ciuitatem.*

**M**Agnifico fratri illi, Ego enim ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi, hoc est casam meam cum ipsa area, vbi posita est, infra ciuitatem vel burgum illum, in ratione illius, in loco illo, quem ego data mea pecunia de aliquo homine nomine illo comparauit. Habet ipsa casa in atriamēto membra in gyro tanta, de lateribus vel frontibus casæ vel terræ illorum & illorum. Vnde accepi à te pretium in quod mihi bene complacuit, hoc

est tantum : quod pretium in manu  
mea accepi, & ipsam casam vel areã  
per hanc venditionem tibi tradidi  
à die præsentè perpetualiter ad pos-  
sidendum. Ita vt ab hodierna die  
quicquid exinde facere volueris li-  
beram & firmissimam in omnibus  
habeas potestatem faciendi, saluo  
iure ipsius terræ.

XLIV. *QVI SE IN ALTERIVS  
potestate commendat.*

**D**omino magnifico illi, Ego  
enim ille. Dum & omnibus  
habetur percognitum, qualiter ego  
minimè habeo, vnde me pascere  
vel vestire debeam, ideo petij pieta-  
ti vestræ, & mihi decreuit voluntas,  
vt me tam de victu quàm de vesti-  
mento, iuxta quod vobis seruire &  
promereri potuero, adiuuare, vel  
consolare debeas. Et dum ego in  
caput aduixero, ingenuili ordine,

A a ij

tibi seruitium vel obsequium impendere debeam, & me de vestra potestate, vel mundeburde, tempore vitæ meę potestatem nõ habeam subtrahendi, nisi sub vestra potestate, vel defensione diebus vitæ meę debeam permanere. Vnde conuenit, vt si vnus ex nobis de his conuenientiis, se emutare voluerit sol. tantos pari suo componat, & ipsa conuenientia firma permaneat. Vnde conuenit, vt duas epistolas vno tenore conscriptas ex hoc inter se facere vel adfirmare deberent, quod ita & fecerunt.

XLV. EVACVATORIA.

**D**Omino magnifico fratri illi, Ego enim ille: dum & omnibus non habetur incognitum, qualiter ante hos annos sol. nostros, numero tantum, ad beneficium accepisti, vt ipsos solidos tantos tu nõ

bis reddere deberes. Quod ita & fecisti. Sed dum illam cautionē, quam nobis emiseras, ad præsens non habeo, ideo hanc epistolam euacuatoriam fecimus, vt de ipsis solidis tantis omni tempore ductus & securus refedeas. Et si ipsa cautio apparuerit, vel à nobis vel ab heredibus nostris vlllo quoq; tempore ostensa fuerit, nullum sortiatur effectum, sed vacua & inanis permaneat.

XLVI. DE CAUSIS COM-  
*mendatis.*

**M**Agnifico fratri illi, Ego enim ille. Rogo, supplico, atq; publiciter tuæ charitati iniūgo, vt omnes causas meas, tam in pago quam & in palatio, aut ante iudices, vel vbiicumque mihi necessitas euenerit, ipsas causas meas ad meam vicem prosequi, & admallare facias, & de ipsa prosecutione me reddas

Aa iij

certiorem. Et quicquid exinde egeris, gesserisue ratum & bene acceptum à me in omnibus esse cognoscas. Quod mandatum ut plenior obtineat firmitatē manu propria subterfirmaui, & bonos viros adfirmare rogavi.